1888. XII. 192

Locaechius Andr

HEROICA INDOLES,

SIVE GENIVS SOBOLIS CLARISSIMO MORVM SPECIMINE OPTIMIS PARENTIBVS ÆMVLVS.

ILLVSTR^MO ET SEREN^MO D.

DOMINO VLADISLAO,

SIGISMVNDI TERTII POLONIÆ ET SVECIÆ REGIS FILIO, POLONIÆ ET SVECIÆ PRINCIPI,

Honoris Ergô,

AB ANDREA LOEAECHIO SCOTO
Dicatus.

CRACOVIÆ,
In Officina Lazari, Anno Domini,
1605.

Augustissima Nomina,

I.

SIGISMVNDVS TERTIVS POLONIÆ ET SVECIÆ REX.

II.

ANNA, SIGISMVNDI TERTII POLONIÆ ET SVECIÆ REGIS CONIVX, POLONIÆ ET SVECIÆ REGINA, ARCHIDVX AVSTRIÆ.

III.

VLADISLAVS POLONIÆ ET SVECIÆ PRINCEPS.

per Anagrammatismos:

I.

O NATE, REGO, DIIS RECTVS VNIS. VIVE: STA EXEMPLIS.

II.

O ANIMA CARA DEIS, VIRO: OVIS DIGNA POLO, SIC (HEI) IACES EGENIS. EN PARCÆ LEX INVENIT, AT VIRTVS INTEGRA EVEXIT.

III.

VALE PATERNA LAVDE: SVI SOLII SPES CONCIPE.

HEROICA INDOLES VLADISLAI PRINCIPIS Poloniæ & Sueciæ.

REGIA *progenies, pugnax quam Sarmata quondam*
Spe Dominum exoptat (ne desint Numina votis!)
Dent Arabes aurum tibi, queis opulentia ab auro est:
At mea paupertas munus tibi dignius auro
(Quo violata fides, Probitas perijt, pede pressa
Iura Pudicitiæ intereunt) dat Nomina Patris,
Nominibus collata tuis (tuus ÆMVLVS *illi*
Est siquidem GENIVS, MORVM SPECIMENQ; *propagat)*
Nomina dat Matris, perfectæ exempla magistræ,
Sic Fidei, vt Morum; cuius si imitabere amorem,
Non solùm iungêre illi, quo gaudet Olympo,
At terris post te nunquam delebile Nomen,
Fati expers linques. Tenebras noctemque subite,
Queis neque Fama pia est cordi, neque carmina curæ.
Vis scelerata auri vos in periuria trudat:
Vos intestatos (quis scit cui congregat?) vndæ
Accipiant Stygiæ: incerto genitore creatus
Rem malè partam hæres viles conuertat in vsus,
Indignos neque vos dignetur honore sepulchri.
At quid ego hæc? Equidem cano carmen inutile surdæ
Barbariei; fului clangor recreare metalli

Quam potis est vnus, rapere vnum lumina auara.
Ne morer, Aonium mecum, Phœbe, incipe cantum.
Mæonides cecinit Loti dulcedine captos,
Et patriæ immemores, ſimul immemoresque parentum:
Tv, Princeps, contrà ſeros laudabere in annos,
Si memor es Matris: (genitrix vt libera terris,
Sit Cælo meliore ſui iam parte potita)
Si pius auxilio vates amplectere, acerbos
Qui tecum gemitus, animi communia ſigna,
Amiſſæ quos poſcit amor, de pectore fundent;
Vulnera qui facient tibi fato inſtita virere.
Sunt, fateor, luctus, est & tibi mœror inanis:
At dolor est (contrà quæ hominum ſapientia dictat,
Frigida ſunt) iuſtus, ſobolis qui monſtrat amorem
In Matrem, qui mente latentia promit ab ore.
Parue Puer, quo magna Polonia gaudet alumno,
ÆMVLVS *hic* GENIVS, *maiorem vbi fecerit ætas,*
Eſſe illis pergat, qui lucis origo fuerunt.
Viuidus vt folijs venit ex radicibus humor,
Sic venêre in te Patrij cum ſanguine Mores:
Floribus vtque parens tellus alimenta miniſtrat,
Sic in te viuit Matris Natura pudicæ.
Sceptra tibi reſtant. VIS? LAVDE *merenda* PATERNA.
Hacce VALE *ſolâ,* & SOLII SPES CONCIPE *firmas.*
Menti aſſueſce Patris; cui certum in pectore numen
Excubat, EXEMPLISQ; VETA, O GENERIS *decus altum,*
INIVSTA. *O animo* DIVS, CRETVSQ; *tuendæ*
Iuſticiæ, qualem vis ipſe habuiſſe Tonantem

Intua

In tua vota, illis talem te impendito amicum,
Quos Christus fratres, non sanguinis ordo vocauit.
Finge tibi Patrem tali sermone loquentem:
Mi, Nate, o sanguis, DIIS RECTVS VIVE, *meisque*
STA *(precor)* EXEMPLIS! VNIS REGO. *Honesta sequaces*
Alliciunt mentes, metuenda potentia ferri
Quò vix impellit ductas formidine pœnæ.
Quicquid ages senior, tu sanctam imitare Parentem
Moribus. Ascræi cantu celebrata Poetæ,
Virtutum Hâc longè inferior Pandora decore.
O orbis meritam factis misisset in oras
Quam Maro laudatam! at transactæ haud indiga famæ,
Post humiles cineres, alto cumulatur honore,
Viua Deis: dignam claro dignatur amore
Castalij regina chori, haudque ingratus Apollo.
O nunc læta polo! Superi (credo) inuiderunt
Cælestem terris: nam voluere Iuppiter astra
Pectore dum vidit, raptam, heu, mox intulit astris.
Nulli ita mortali longa est indulta voluptas.
Diuulsa illa viro, vir (prô) diuulsus ab illa;
At non diuulsæ, retinet quas pectore, curæ:
Cor tulit, ah, secum, pro corde in pectore vulnus
Hic retinet, nullâ (quamuis Podalyrius herbas
Applicet ipse omnes) medici medicabile dextrâ.
Si Terra exspectas, vt grandia verba sonemus,
Fallère: hæ meritis prosunt communibus artes;
Vt confictæ illis accedant carmine laudes:
Hanc sua sed Virtus (nequicquam opulenta beato

 Ambit

Ambit humum fortuna sinu) dignissima Cælo
(Mole tuâ premeres, dum etiam grauis) abstulit orbi.
EN PARCAE LEX INVENIT. Cur Gloria in vnâ
Seruanda, heu, sexus tristi iacet obruta Letho?
Cur tantum potuit? Clausus, vel sponte reclusus
Sufficeret numeros Helicon, te, diua, canenti
Illapsus, fierent meritis longè omnia verba
Inferiora tuis (concede, imitabor amorem
Regibus, ah, rarum in vates) Fallacibus aulæ
Donasti fumis saturum, non parca roganti,
Hactenus ancipitis iactatus turbine sortis,
Quo viuo. Donum esse tuum, si voce negâro,
Quo, mea pauperies ne in lucem prodeat, ornor,
Ingratum in Dominam, precor, in me terra dehiscat.
Grati animi liceat lachrymas adiungere pignus.
Iudicium ô Mortis reprobum, longissima auaris
Concedi vitam, sed rarò ad publica Reges
Commoda prognatos vnquam canescere seræ
Curriculo lucis: SIC Mors rapit optima quæque.
Aut Deus est, hominum qui Sceptra fauentia rebus
Inuidet, vt cupidus, queis terra indigna fruisci:
Aut reprobi pertæsa soli, pertæsa malorum,
Quimprimùm hinc patrium Probitas affectat Olympum.

CARA DEIS ANIMA, atque VIRO, te Numina iniquis
Non siuêre diu vestigia figere terris.
Candida OVIS, Fidei quam labes nulla notabat,
DIGNA POLO, indignè O miseris lux perdita EGENIS,
Lux inserta Deis. Non victa potentia fati, AT

Integra

INTEGRA *te* VIRTVS *cognata ad limina Cæli*
EVEXIT; *mortalis adhuc quò mente præîsti.*
His quoties precibus tu magnum aggressa Tonantem:
Extorrem Patriæ redde ô, Pater alme, quietis
Optatæqúe diu ne differ vota. Precantem
Audijt Omnipotens, teneræ (HEI) *filumqúe iuuentæ*
Abrumpens citiùs, captam nil seculi amore,
Vnde erat orta, Animam Superûm reuocauit ad aulam.
Ter felix Puer, ô, tali Genitrice: Parentis
Vitæ insiste animo, studeasqúe æquare merendo.
Huius ego voluens transmissos tempore mores,
Semideos video tales in amore fuisse
Christigenas, irata priùs quàm virgo scelestis
Eucharis, his cessit terris, Cælumq; petiuit.
Celsa licet, tali Probitati addicta tenore, vt
Plebeis, quibus extiterat sua origine virtus
Clarior, abscondens tenebrosæ exordia vitæ,
Matris non Dominæ ritu sit visa fauere.
Nam (veluti solis laudant à frugibus agros
Agricolæ) decus à solâ virtute petebat.
Curæ ego pars fueram: nunc (heu) quæcunq; vigente
Spes viguêre mihi, Dominâ cecidêre cadente.
Quòd si quæ superat, Patris inclinata recumbit
Munificam in dextram; Phœbo Phœbiq; ministris
Qui se non durum naturâ ostendere gaudet.
Aucta polo, Mundi iam tutò despicis omnem
Fucatam speciem: Salue atq; vale, inclita luctu
Sceptrigeri. Charæ non gratam in funere vitam

Illo tuo trahit amissam: tamen inter Amorem
Constantem & Luctum, gaudet tua reddita Cælo
Pectora, dehinc curæ nequicquam obnoxia amaræ.
Felix morte IACES! *(cineres sine nomine mutos*
Alloquor) excelsis non Sceptris Sceptra videbis
Reddenda, aut auctos surgentis seculi honores:
At neq; tu chari curâ afficiêre mariti;
Curæ expers, secura metûs, secura laboris,
(Immunis nunquam his terrena potentia Regum)
Nec cernes sæui molimina surgere Martis;
Ferrea secla quibus multò leuiora videbant.
Sed Genitrix tua me, & tristissima mentio fati
Sat tenuit: rursus dicta intermissa resumo.
Auspicijs Cæli Princeps feliciter orte,
Viue diu Sophiæ & sanctæ Pietatis amicus;
Imperium vt Genitor, priùs hunc Cælestia Olympo
Numina quàm donent, sero saturatus ab æuo,
Iniungat; rerum dum sponte imponet habenas,
Post nomen Regnis partum communibus ausis.
Interea, minor, Aonias accedito ad vndas:
Incipe, primitias linguæq; elementa Latinæ
Edoctus, manibus numerosâ sorte iacentes
Delicias Patris, Patris tractare libellos,
Et voces geminando tuos recreare magistros.
Tempus erit quando (lucem tibi fata secundent!)
Accipies quod quisq; nouo mandauerit æuo,
Quicquid Socraticæ docuerunt ordine chartæ,
Quicquid Democritus risit, docuitq; silendo

Pythagoras : quid dîa velint præcepta Platonis,
Quid Stagyritæi monitus : quis limes honesti :
Quæ veri sit norma boni : quo fine beati
Efficitur, Cælo qui non conatibus obstat.
Hinc venient latices animum mollire potentes,
Et dare ne te odij species, ne fallat amoris,
Neu' sortis te damna magis quàm commoda tangant.
Eia age quod Templis, de te, prædixit Apollo :
Non deerunt Genio sumti de sanguine mores.
Hostis enim hæreseos, quæ summa inimico Tonanti,
Postquam Jndi didicere Deum, primùm incipit atrâ
Nube suæ noctis tenebras offundere mundo.
Tanta boni primis Pietas se ostendit in annis,
Ortu ego quanta nouo diffundo lumina in orbem.
Eia age quod, pro te, Musis promisit Apollo :
Me formante animi motum, me facta docente,
Diuino affectu meritis Regalibus olim
Æterno addictas vos reddet fædere ; surget
Vnde pia, eximias sparsura in secula Laudes,
Fama : vt subdubitem maiorne hoc Gloria pacto
Speranda, an maior de Martis amore virescet.
Hoc sub calcatæ, quas proterit ambitus, artes
Surgent : dignus erit de quo, cùm Pallas Olympo
Spectabit, dicat : Sic sic, de Regibus, iste
Adsimilat, sic atq; refert me Numine, vt illi
Conueniam. Nobis idem consensus vtrinque
Est prorsus, seu quando acies atq; arma mouenda,
Seu iuuet horrenti à bello, partisque trophæis,

Molliùs ingenij pacisque incumbere in artes.
Cynthius hæc Aris, pro te, Musisque spopondit;
Nec probibet nostris longo transmittier æuo
Carminibus. PRINCEPS, *peregrini adsurgito vatis*
Auspicijs (tantùm est mihi quæ nunc verba ministrat
INDOLES) *his olim Magno maiora canemus.*

FINIS.

Ad evndem Serenissimvm Principem.

Xenium.

WLADISLAVS PRINCEPS

Per Anagramma:

PARVVLVS DIIS PLACENS.

QVid tibi vis optem, Princeps? (violasse vetustum
Ne videar morem) Vix superesse locum at
Hîc video votis: tibi Numina summa dederunt
Crœsum opibus Patrem, Relligione Numam:
Tuq; Places Divis, capturus, Parvvle, ab illis
Magnanimis, olim, ditia Regna viris.
Intereà hoc (opto) Nomen vertatur in Omen,
Perpetuùm magnis posse Placere Deis.
Cresce Puer, priscosq; refer virtute Quirites,
Et quos miratur Martia Roma Duces!
Sint famulæ Parcæ: peragat tua iussa Gradiuus,
Inq; Gigantæum porrigat arma gregem!
Sit præsens Numen; lædat ne robur apertè;
Ne scelus, occultâ quod ferit arte, petat.
Viue Puer, Regesq; æquâ succesſibus altos;
Æternum Factis & mereâre Decus.
Viue Puer, maturis completurus in annis,
Quæ canit (en per me) dîus Apollo Tibi.

Ipse

Ipse deus, diuæq; nouem tua Regna frequentent?
Virtuti testes turba futura tuæ.
Scilicet vt, cùm Corpore abibis, Facta supersint;
Quẽis homo mansurus post rediuiuus humum es.
Sic celso Heroæ perfunctus munere vitæ,
Perpetuum, verso corpore, Numen ages.